

Peccavisse igitur actualiter quemadmodum Adamus peccavit, non fuit peccavisse ad similitudinem illam transgressionis Adami, de qua hic loquitur Apostolus.

Hinc probare erit facile, Infantes peccavisse actualiter, ut ita dicam, ad illam similitudinem. Nam si non peccaverunt infantes ut adulti peccant, quoad materiam, quia non habent actu aequae vegetam: peccaverunt certe aequae actualiter quoad formam, & quoad imputationem peccati. Actualiter enim imputatum fuit peccatum Adami infantibus ut adultis; & actualiter mortui sunt infantes ut adulti, propter illud peccatum Adami, quod eis imputatum fuit. Quae est vera similitudo transgressionis Adami, de qua hic agitur. Peccavisse igitur Infantes actualiter censendum est, ad transgressionis Adami similitudinem illam quam intellexit hoc loco Apostolus.

### CAPUT XV.

Quae sit vera similitudo transgressionis Adami, per Oseam Prophetam.

**S**ED omisissis distinctionibus Logicis; videamus manifestissime quae fuerit similitudo illa peccati Adamici, per Oseam Prophetam, cap. 6. versu 7. Qui locus unicus occurrit in bibliis sacris, ubi explicatur praecise & lucide; quid fuerit peccare ad similitudinem peccati sive transgressionis Adami.

Objurgans Deus eo loci Iudaeos, quod rupissent pactum ejus, sive quod egressi essent legem quam dederat Mosi Dominus, haec ait. Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum meum. Quod idem est atque si dixisset Deus. Peccaverunt Iudaei sicut Adamus peccavit: vel quod perinde est, peccaverunt Iudaei ad similitudinem transgressionis

sionis